

www.e-rara.ch

**Disputationum iuridicarum selectiorum in inclyta Basiliensium
Universitate disquisitioni publicae ac solenni expositarum volumen
singulare**

Decker, Johann Jakob

Basileae, anno 1675

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-20228>

Hermanni Meieri Bremensis disputatio inauguralis de virgine uxore die Novembris 24. anno
1671. habita

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



HERMANNI MEIERI

Bremensis

DISPUTATIO INAUGURALIS

de

VIRGINE VXORE

die Novembris 24. Anno 1671.

habita.

T H E S I S I.



Ehementius nihil esse furore amoris, quem retinere perfectæ est philosophiæ, inquit Imp. in Nov. 74. c. 4. Id quod illustribus sanè exemplis comprobatur falli nescia experientia; imò quò majores quis spiritus gerit, eò minores huic affectui resistendi vires reperit. Cæsarem, qui totum ferè orbem felicissimus domuerat, Cleopatraz expugnârunt amplexus: Alexandrum M. quem totus mundus capere non potuit, Thaidis cepere deosculationes: de Marco Aurelio & Faustina, de Seleuco & Stratonica, de Herode & Marianna, de Pompejo & Cornelia, de Theseo & Ariadne plura addere possem, sed unum nobis sit instar omnium. Monstrorum illum domitorem, Herculem, qui naturam ipsam vincere visus, vicit Regina Lydorum, quæ adeò infra eos ejus fregit lacertos, ut muliebria, fufum & colum, præ mascula sua clava elegerit. Plura qui cupit exempla vid. Magnif. Dnum Brandmyllerum, Jurisprudentiæ & celeberrimæ hujus Vniuersitatis Statorem & Conservatorem, Patronum, Præceptorem & Promotorem meum, omni observantiæ genere devenerandum in *Dub. Jurid. Disp. 4. th. 2. p. m. 442.* Agnoscunt ita dominam, qui sunt domini: assignant numen Veneri, qui ne-

qui nesciunt quid sit Venus, quippe Venus seipsam ignorat. Et qui Veneri plaudunt favente manu vacuâ plaudunt. Cùm itaque in hac rerum omnium infirmitate nihil detur perfectum, summâque hæc orbis capita tanquam in speculo nobis ob oculos ponant, potentissimo huic affectui non restitisse, qui potentiores videbantur, quantum sive quantillum ei sit tribuendum è sequentibus patebit. Tribuimus quod L. tribuit: quod L. non tribuit, tribuere non possumus.

II.

Tribuit L. maris ac feminae conjunctionem, quam nos matrimonium appellamus *pr. Inst. de J. N. G. & C.* Quæ conjunctio duplex est: animorum alia, alia corporum; quarum hæc nobis & brutis est communis, illa autem à brutis nos discernit. Quandoquidem igitur jura nos doceant; quod nuptias non concubitus, sed consensus faciat *l. 30. ff. de R. I. matrimonium non coitus, sed maritalis affectio l. 32. §. 13. ff. de donat. int. vir. & uxor.* non defloratio virginitatis, sed pactio conjugalis *con. §. 27. q. 2.* ubi cùm jungitur puella, conjugium est, non cùm viri admistione cognoscitur. Idèd quid animorum hæc conjunctio valeat, & quos in jure effectus habeat, constitui inquirere. Ut autem nigrum cum rubro respondeat, cardo hujus Disputationis in eo versetur: ordine quomodo ante nuptias virgo possit considerari quomodo uxor, & in ipsis nuptiis conveniant sibi uxor & virgo, paucis deducam.

III.

Wissenbachio *præf. ad tit. ff. de V. S.* duæ sunt ideæ veritatis, nomina & res; etymologia itaque priùs excutienda, quàm ad rei ipsius tractationem deveniamus. Vxoris nomen ab ungen-do communiter derivant Dd. ut dicatur uxor quasi unxor, quia, ut inquit Gothofred. *in not. ad l. 15. ff. de C. & D. lit. b.* Veteres cùm traducebant novas nuptas in domum mariti postes domûs ungebant: & quidem adipe suillo seu lupino, ne quid mali medicamenti inferretur, ut vult Arnif. *de Jur. Connub. c. 3. p. m. 180.* A jungendo venire putat Casp. Barth. *Advers. l. 6. c. 13.* ita ut appelletur uxor quasi junxor: quæ derivatio humanior illâ Ovveni alluvione, quæ magis versum, quàm verum exprimit

— — — *Vx (cf) or & orcus idem.*

Sed forsan respexit ad Itolorum illud : *Donna danno, moglie doglie*. Guicciardino *nell bore di recreatione p. m. 347*. Vocatur aliàs domina apud Scævolum in *l. 41. ff. de leg. 3.* Maritus ille, qui ita uxorem compellat facit id more Græcorum, in quorum rep. tales ducebantur uxores. Scribit enim Tiraquell. in *LL. Connub. pr. n. 11.* Spartanas mulieres viris dominari solitas, & Lacedæmonios uxores heras vocare solitos fuisse; cùm omni jure vir mulieris caput esse debeat. Mulieres quippe honore maritorum eriguntur, genere nobilitantur, & forum ex eorum persona adipiscuntur, ut loquantur Impp. Valent. Theod. & Arcad. in *l. 18. C. de dignit.* Ideoque maritus in *l. 57. ff. de donat. int. vir. & uxor.* ab uxore appellatur dominus charissimus, idemque habetur in *l. 88. §. 2. ff. de leg. 2.* Et nihil funestius secundum Arnisæum de *J. C. c. 7. sect. 1. num. 7. & seq.* excogitari potest imperiosa muliere, quæ si voti compos fiat, & clavum marito extorqueat, in indubitata eum ponit infamiam: sin pari pervicacia obsistat maritus, & se virum præstare contendat, perit pax domestica, & dum certatur de imperio, salus familiæ negligitur; nec in publicum facile quid meditari aut operari potest, cui domi luendum est. Provocat ad testimonium Plinii in *Paneg.* qui: Multos, inquit, foris claros domestica destruxit infamia; & ne maximi cives haberentur, hoc effecit, quod mariti minores essent. Vbi enim imperat mulier, nihil postulanti negari potest, nihil vir recusare audet. Si poscit, dandum est; si vocat, veniendum; si ejicit abeundum; si minatur, extrimescendum. v. plura *ibidem* summorum virorum exemplis illustrata. Quàm verè dixit, quicumque dixit:

Dulce merum, dulcis conjux, mens conscia recti,

Quid tribus his junctis dulcius esse potest?

Quòd Imperator uxorem suam in *Nov. 8. c. 1.* vocat reverendissimam non propterea erit vocandus uxorius. Pari enim facilitate accusari posset impietatis, quia in *l. pen. C. d. donat. int. V. & V.* eam vocat piissimam. Reverendissima est iis, qui reverentiam debent, Quotiens ea audio vel lego, quæ Imperatori nostro objiciuntur, in mentem venit Plinii Junioris, qui *libr. 9. epist. 27.* ad Sextilium Lateranum scripsit, cùm aliquando liber recitaretur de sceleribus cujusdam, & pars in alium diem referretur, ne recitarentur reli-

qua, optarim non recitari reliqua, quoniam jam manifestata sunt ambiguae fidei.

IV.

Virginis nomen à virtute deduci, ut ex ipso nomine se semper admoneri cognoscat, vult Calv. *Lex. Jurid. lit. V.* A virore seu viridi ætate Martinius *Lex. Philol. etiam lit. V.* Vbi notat in Liburnia virgines dictas esse, quæ ante nuptias, quibus vellent, succumberent: quarum in rep. an adhuc in quibusdam locis vivatur, prudenter ignoratur. Quòd si conjecturari liceat, propius à virga mihi deduci posse videtur; quòd sicut virga tenera est, & facile flecti se patitur, ita etiam virgo in tenera sua ætate haud difficulter flectatur, secundum tritum illud:

*Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria, simplicitas digna favore fuit:
Sum decepta tuis, & amans & credula verbis;
Dii faciant laudis summa sit ista tuæ.*

Et sicut virga facillimè frangitur, sic teste Gæddeo ad l. 13. ff. de V. S. periculosum & fragile vas est virginitas: quia maximè pronæ in Venerem feruntur virgines; utpote quæ anxie expetunt eam voluptatem experiri, cujus hastenus fuerunt expertes, si ad eam invitentur. Hinc Euripides dixit, filiam esse laboriosam possessionem patri; & ab ea ipsum liberari tanquam re difficilis & molestæ custodiæ. Sit igitur mea conjectura virginem dici à virga. In virga tantum hoc spectamus, quòd virga facillimè flectatur, non excutimus omnem virgarum indolem. Quid enim ad nos aliam virgam è corylo factam, quâ utuntur ad exploranda metalla sub terris latentia? Virginitati non est metallum, quod sub terris lateat. Haud attendimus virgam, quam vetustas regum esse volebat, & erat sceptrum: Virgo non sit sceptrigera, nec à sceptrum tenente oneretur. Homonymiam vide ap. cit. Calv. & Martin. Dicitur etiam aliàs viripotens d. l. 13. de V. S. & l. 101. ff. de C. & D. Viripotens autem dicitur, quæ virum pati potest l. pen. ff. quand. dies leg. Talis censetur J. Civili quando annum complevit 12 pr. Inst. de nupt. pr. quib. mod. tut. fin. Quo anno ex ipsarum voto (quoniam ut ait Carpzov. de Jur. Fem. pr. nuptiis puellæ maximè delectantur, nunquam non annos & dies numerantes, usquedum ad legiti-

timam

DE UXORE VIRGINE.

SI

rimam nubendi ætatem pervenerint) terminum pubertatis bien-
nio citiùs attingunt, quàm masculi : ex ratione naturali; quia
secundùm Theophrastum, quæ infirmiora sunt faciliùs perficiun-
tur, & quæ humida laxaque sunt celeriùs excrescunt. Citiùs
namque crescunt salices, quàm quercus. Et putaverunt Legis-
latores ad complexum maritalem majus requiri robur in mare,
quàm in fœmina: facilius enim est pati, quàm agere; mulier au-
tem in generatione se habet passivè. Vinn. *Comm. ad pr. Inst. quib.
mod. tut. fin. n. 3.* vide & Carpzov. *d. l. n. 4.* Quam affert rationem
Accursius, scil. quòd mala herba citiùs crescat, quàm bona, ea du-
rior aliquantum videtur; & nunquam tutiùs aliquid poterit di-
ci, quàm ubi quis novit sibi non contradici. Jus Canonicum verò
noluit contrahentes connubium certo astringi termino ætatis;
sed paucioribus contentum est annis, quando malitia (quam in
coëundi potentia & discretionem consensus conjugalis consistere
Canonistæ ajunt, & prudentiam appellitant. v. cit. Carpzov.) sup-
plet annos *cap. 3. & cap. 9. x. de desponsat. impub.* Quod forsitan idèd
factum, quia usu compertum masculos ante decimum quartum
annum liberos genuisse fœminasque ante annum duodecimum
peperisse. Exempla inter alios catalogo refert Borchold, in *Com-
mentar. ad pr. Inst. d. nupt. Arnif. c. 2. sect. 3. n. 8. & seq.*

V.

Sed cum res magis, quàm verba intuenta sint secundùm
l. 41. §. 1. ff. de J. D. de probatione virginitatis omninò bre-
viter hïc quædam præmittenda sunt. Etenim, teste Zachia *Quæst.
Medico-Legal. libr. 4. tit. 2. q. 2. n. 1.* circa virginitatem gravia multa
occurrunt, quæ Jctis scitu per quàm sunt necessaria. V. g. pro-
pter L. Jul. de maritandis ordinibus, propter Edicta Prætorii de
inspiciendo & in possessionem mittendo ventre, & propter matri-
moniorum & divortiorum jura. Imò Deus t. o. m. ipse in V. Test.
judicibus *Deut. 22. v. 13. & seq.* præscripsit, quomodo lite exortà
virginitatis signa explorare debeant. Et quamvis Lyra & Rab-
bini præscriptum illud circa pannum cruentatum metaphorico
sensu accipere contentur, quòd quemadmodum expansum lin-
teamen nihil celet, sed omnes sibi inhærentes maculas spectan-
tium oculis subjiciat: sic diligens causæ cognitio, & accurata
circumstantiarum exploratio accusatæ sponsæ vel corruptionem,

vel integritatem palam faciat; nos tamen cum Sebizio de Not. Vir-
gin. sub fin. proprium huic textui inesse sensum statuimus. Cruen-
tare enim primo congressu linteamina secundum Sebiz. l. cit. apud
Israëlitarum virgines perpetuum erat duabus præcipuè ex causis
1. quia maturè admodum anno scil. ætatis duodecimo, decimo
tertio, & decimo quarto nubebant: id quod & adhuc inter Ju-
dæos observari constat. 2. quia hæc probatio erat mandata.
Alia etiam hæc confirmantia v. ap. Joh. de Mey *Physiol. sacr. ad
hunc loc. p. m. 216.* ubi quoque arbitratur, quod ratione illius tem-
poris & regionum potuerit esse ordinarium. Stante itaque Lege
Mosaica sufficiens hoc fuit signum, ac poterat iudex ex sentent.
Sebiz. facillè cavere ne cui innocenti periculum crearetur. Hodie
verò non posse certissima & omni-exceptione majora inde sumi si-
gna, cum aliquando meretriculæ non solum suos procos, sed ipsas
& obstetrices & Medicos peritissimos decipiant, per adductas à
Plazono de part. gener. libr. 2. cap. 5. evidentes rationes non negan-
dum videtur. De hymene (quem aliàs Eugium, virginittatis clau-
strum, integritatis argumentum, castitatis munimentum, florem
virginæ, panniculum virginalem, germen floris, centonem,
interseptum virginale, custodiam, sigillum & columnam virgini-
tatis appellant. v. Sebiz. p. m. 370.) multum inter se digladiatur
Medicorum schola, quorum nodos dissolvere Alexandri cujus-
dam erit operis. vide Plazonii loc. c. pr. & in f. ejusd. cap. Zach. tom. 1.
libr. 4. q. 1. Quamobrem tutius videtur cum Cujac. libr. 17. Observ.
cap. 27. f. concludi, certas & infallibiles virginittatis notas velle
producere esse in difficili & penè impossibili v. Arnif. de J. C. c. 3.
sect. 3. p. m. 205. Sebiz. p. 388. Mascard. de probat. libr. 3. conclus. 1410.
Farin. Decis. 74. in not. lit. b. Camerarium in horis subsæcivis cent. 2.
c. 18. Johan. de Dicastillo de J. & J. libr. 1. Diss. 3. dubit. 14. à. n. 166.
Magnif. D. Brandmyllerum *Manud. ad Jus Civile & Canon. Differ.
Virginittas probari non potest.* & Sev. Pinæum de Not. Virgin. Qui peni-
tius hæc inspicere cupit, videat, ne opus habeat exclamare

Cur aliquid vidi, cur noxia lumina feci?

Aut ne videat Babylonicas, quarum teste Curtio libr. 5. licet in
initio convivii modestus sit habitus, tamen deinde summa quo-
que amicula paulatim exuunt & pudorem profamant, ad ulti-
mum ima corporum velamenta projiciunt. Aliunde sit retulisse
illud Lotichii ad Rosemannum,

Cetera

*Cetera vos quercus scitis, volucresq; canora,
Virgine cum sola quid Rosemannus agat.*

Inferenda hinc quoque foret quæstio, an ducta mulier, quæ se virginem mentita erat, cum ab alio esset compressa, repudiari possit, sed de hac infra agemus *th. 17.* ubi, si luberet, miserimus credulitatis error multiplicibus salibus luxuriaret,

— — *verum non omnia dicam.*

VI.

His præmissis rem ipsam aggredior, prius probans virginem posse considerari ut uxorem; idque ratione sponsaliorum. Vbi primò in genere noto ex *l. 15. & 16. ff. de sponsal.* quòd ea, quæ de nuptiis disponuntur locum etiam habent in sponsalibus. Quod Bart. in *l. 4. ff. ad L. Pompej. de parricid.* & in *l. 15. ff. de act. rer. amot. per interpretationem accipit.* v. & Bald. in *l. 42. C. de Episc. & cler. col. 3. num. 7. vers. Sed hoc pone,* & alios allegatos à Barbofa *libr. 11. c. 16. ax. 11.* Hinc etiam sponsalia nuptiæ appellantur in *l. 17. §. 1. ff. de reb. auth. jud. poss. scil. extensivè, ut vult Gothofred. in not. lit. t.* Cùm aliàs spes matrimonii vocentur *l. 6. ff. de sponsal. l. 18. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.* Quos textus, qui inter sponsalia distinguunt, de sponsalibus de futuro accipiunt, quæ J. Civili solum cognita, à quibus etiam recedere licet *l. 1. C. de sponsal.* Ad quæ referunt *l. 9. ff. de his qui not. infam.* quòd, licèt uxores maritos suos lugere obligatæ sint, sponsæ tamen suos sponfos lugere non obligentur: & licèt vidua alteri nubens intra annum luctus, infamis efficiatur; tamen secus sit in ea, quæ intra annum luctus, sponsalia contrahit *l. 10. ff. eod.* Eodem modo licèt uxor teneatur sequi maritum suum *c. 1. & ibi Abb. x. de conjug. leprof.* sponsa tamen sponsum suum absentem sequi non tenetur, *gloss. c. de illis. 5. & ibi Abb. x. de sponsal.* Et quamvis is, qui alicui provinciæ præest, ex ea uxorem nondum finito officio ducere non possit; sponsalia tamen cum illa muliere contrahere non prohibetur *l. 38. pr. ff. de R. N.* Similiter licèt inter virum & uxorem donatio prohibita sit; inter sponsum tamen & sponsam prohibita non est *l. 12. pr. ff. de Publ. in rem act. l. 5. pr. ff. de Don. int. v. & U.* Et licèt uxor habeat tacitam hypothecam privilegiatam in bonis mariti sui; sponsa tamen in bonis sponsi sui hanc hypothecam non habet *gloss. in l. eos. C. qui potior. in*

Sign. Affirmat tamen Carpzov. *Defin. Eccles. 17. 18. & 174.* de moribus hodiernis distinctionem inter sponsalia de præsentis & de futuro parum observari, quin & prorsus repudiari, si illa cum Canonistis appellitemus, quando per verba temporis futuri vel præsentis matrimonium promittitur, ut habetur in *cap. pen. x. de sponsal.* Quia nimirum lingua Germanica non tam accuratè inter verba præsentis & futuri temporis distinguit. Ex quo intentio contrahentium facillimè everteretur, & sponsalia de præsentis vera, sub prætextu sponsaliorum de futuro, dissolverentur. Statuit itaque *ibid.* sponsalia de futuro hodie saltem de impuberum desponsatione, & tractatibus sponsalia antecedentibus esse accipienda, quorum effectus modicus vel nullus, quia utroque in casu penitere, & à sponsalibus recedere licet *can. un. caus. 30. quest. 2. tor. tit. x. de desponsat. impub. & in 6to. eod.* Hinc Cothman. *vol. 2. Resp. 78. n. 7.* ait: Nulla est dubitatio, quin hodie sponsa, quæ cum sponso, & sponsus, qui cum sponsa sponsalia pura & simplicia, nostro idiomate ein verbündliches Ehegesüßde appellata, contraxerunt, & à patre, eóve, qui patris loco est, desponsatus desponsatave est, pro vero marito & uxore habeantur, quodque talia sponsalia sint verum matrimonium. Scilicet, ut ex Panormit. refert Suthold. *Dissert. 2. th. 9.* ratione vinculi, non verò respectu consummationis.

VII.

Quibus in antecessum dictis posse sponsam vocari uxorem, adductis testimoniis, principiò probo. Sic *Gen. 29. v. 21.* ubi Jacob loquens de Rachele, sibi tum desponsa: trade mihi, inquit, uxorem meam. Et *Deut. 22. v. 24.* dicitur, si quis concubuerit cum virgine, quæ desponsata est alii, ambo lapidibus debent obrui: puella, quòd non clamàrit in civitate; vir propterea, quòd oppressit uxorem proximi sui. v. *Matth. 1. v. 20.* & *Luc. 2. v. 5.* adde *Wissenb. ad l. 13. ff. de V. S. n. 20.* Quæ confirmantur Jure Canonico *can. 12. 27. q. 2.* ubi Pontifex Gregorius inquit: *Qui desponsatam puellam proximi sui acceperit in conjugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei; quoniam secundum legem Dei mori decernitur.* Nam divina legis est mos, sponsas appellare conjuges &c. adde *can. 5. & 6. eod.* ubi dicitur: *Conjuges verius appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus.* Idem apparet ex *l. 6. & 7. ff. de R. N. l. 15. ff. de C. & D. & l. 30. de R. l.* ad quam Gothofredus *lit. f.*

lit. f. asserit, quòd nihil obstat, eandem & virginem & uxorem esse: (quæ verba mihi inter alia hanc Disputationem conscribendi, vandumq; a nemine hæcenus, quantum mihi constat, ingressum tentandi ansam dedere.) Simul atque enim intervenit consensus conjugalis societatis, verum est & perfectum matrimonium, licet necdum accesserit copula carnalis *Suth. d. Dissert. aph. 12. & 13.* Sic generi & nurus appellatione sponsus quoq; & sponsa continentur, item foceri & focrus appellatione sponforum parentes contineri videntur *l. 16. §. 1. & l. 8. ff. de grad. & affin. l. 4. ff. ad L. Pompej. de par. ricid.* Distinguendum tamen inter favorabile & odiosum, de quo *infra th. 16.* eò quòd leges jubent, in qualibet dispositione verba in propria significatione esse accipienda: nec ab iis recedendum, nisi vel absurditas sequatur, vel de contraria mente dispositionis appareat. *l. non aliter. 69. pr. ff. de leg. 3. l. 1. §. 29. ff. de exercit. act. Schrauderus ad tit. I. de nupt. num. 12.*

VIII.

Deinde ex tradita in Jure nostro convenientia sponsæ cum uxore, luce meridiana clarius id fiet. Sic enim I. Sponsalia possunt contrahere qui & nuptias. Nam ubi nuptiæ interdictæ sunt, ibi sponsalibus, quæ sunt aditus nuptiarum, locus esse non potest. *l. 16. ff. de sponsal. c. 39. & 84. de R. I. in 6to. Wesenb. ff. de sponsal. n. 4.* Quamvis hæc regula non convertatur. Possunt enim sponsalia contrahere, qui septimum explevere annum *l. 14. ff. eod.* licet in contrahendis nuptiis masculis annus 14. seu 15. inchoatus *Nov. 100. c. 2. vers. Novimus*, & 12. foeminis ab Imp. sit præscriptus, de quibus *suprà th. 4.* Possunt autem conjungi, qui non prohibentur. Qui vero, & ex quibus causis prohibeantur vid. exactissimè deducentem *Sutholdum d. Diss. aph. 22. & seqq.* II. Sicut nuptiæ consensu contrahentum fiunt *l. 13. ff. de sponsal. l. 2. l. 21. ff. de R. N.* ita etiam sponsalibus filium familiæ consentire oportet *l. 1. ff. de spons. can. 2. 27. q. 2.* Quod non infringit *c. 1. x. de despons. impub.* Dupliciter enim ad id respondeo. 1. Quòd teneatur ibi filius adultus, quem pater desponsavit cui vult, implere patris voluntatem, non debito necessitatis, sed saltem debito honestatis, ut loquitur *glossa ibid.* Cum pater præsumatur optimè liberis suis providere voluisse. *l. 22. §. f. ff. ad L. Jul. de adult.* Quis etenim talis affectus extraneus interveniat, ut vincat paternum, vel cui alii credendum est res liberorum

rorum gubernandas, parentibus derelictis? quærit Imp. in *l. 7. C. de curat. furios.* Urget enim naturalis stimulus parentes ad cogitandum de liberis *l. 36. §. ult. ff. de excus. tut.* ideoque persona patris liberis semper honesta & sancta videri debet *l. 1. l. 2. l. 9. ff. de obseq. parent. & patron. l. 2. ff. de l. & l. cap. 1. distinct. 30. v. Barbosa. libr. 14. cap. 8. axiom. 1. & 2.* Nunquam verò cogitur filius familiâs uxorem ducere *l. 21. ff. de R. N. Si verò patre cogente,* (i. e. suadente admodum, & urgente, atque hortante, ut explicat Gothofr.) *ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invito non contrahitur, maluisse hoc videtur, uti eleganter loquitur Celsus in l. 22. eod.* Libera etenim debent esse matrimonia, & coactiones frequenter difficiles solent habere exitus *c. requisivit. 17. x. de sponsal. 2.* Facili negotio cap. illud refellitur, si respondeatur, quòd ibi non agatur de persona filii, quasi is possit cogi; sed de persona patris, qui debet omninò implere, quod mutari, nisi mutet filii fastidium, non potest: prout subtilissimè respondet Magnif. Dnus Brandmyllerus, Jctus consummatissimus in *sua Manuduct. Jur. Civil. & Canon. Differ. Matrim. ut contrahat.*

III. Ut non licet duas simul habere uxores *§. 6. Inst. de nupt. l. 6. C. de incest. & inut. nupt. l. 18. C. ad L. Jul. de adult.* sic nec duas sponsas: sed qui bina contrahit sponsalia fit infamis *l. 1. & l. 13. §. 1. ff. de his qui not. infam. Beult. de sponsal. cap. 15.* Si tamen quis bina sponsalia de facto contraxerit, quænam sint præferenda vid. ap. Hahn. *ad Wes. ff. de sponsal. n. 3. & Struv. Ex. 29. th. 16. & 18.*

IX.

IV. Uti legitimus est filius, qui ex viro & uxore ejus nascitur *l. 6. ff. de his, qui sui vel al. jur.* Ita etiam si sponsus cum sponsa concumbat, & nondum secutis nuptiis decedat, natus ex sponsa legitimus haberi debet. Ratio, quia per *l. 30. de R. I.* pluresque *thesi 2. & 6. supra alleg. leg. consensus solus, multò magis accedente copula carnali firmatus, matrimonium facit. v. c. 12. x. qui fil. sint legit.* Hahn. *ad Wes. de his, qui sui vel al. jur. n. 3.* Struv. *Exerc. 29. th. 26.* cum ibi alleg. Carpov. *Jurisprud. Forens. part. 3. Const. 14. Defin. 12. & Befold. Thes. pract. lit. B. n. 49.* V. Sicuti res à marito quæstas uxor non acquirit patri: ita nec sponsa quæstas à sponso *l. 2. ff. de dot. præleg. & l. 5. C. de bon. qua lib. Perez. ad Cod. b. t. n. 2. Giph. ibid. p. m. 215.* VI. Ut uxor dotem dat, de quæ ea actionem habet. *l. un. C. de rei*

C. de rei uxor. act. sic etiam sponsa dat dotem, & de dote potest habere actionem *l. 7. ff. de R. N. l. 74. ff. de I. D.* quæ tamen quasi dos potius vocanda videtur per *l. 13. §. 1. ff. de hered. petit.* quia dos aliàs sine matrimonio esse non potest, & ubi matrimonii nomen non est, neque dos est. *l. 3. ff. de I. D.* quamvis nuptiæ possint celebrari sine dote *l. fin. C. de donat. ant. nupt.* Non etenim dotibus, sed affectu matrimonia contrahuntur *l. 11. pr. C. de repud.* Et antiquis promulgatum est legibus, & jure novissimo constitutum, ut etiam nuptiæ, extra dotalia instrumenta, ex solo affectu valeant, & ratae sint. *Nov. 74. c. 4. pr.* sicut legitimatio, facta per nuptias, dotalia instrumenta non desiderat. In quo sibi contrarius est Bachovius, qui *part. ad Treutl. 1. disp. 2.* ad hanc legitimationem desiderat instrumenta dotalia. Idem verò ad *§. ult. I. de nupt.* fatetur se incautè & imprudenter desiderasse; & hoc propter geminam rationem. 1. quia utique matrimonium perfectum sit solo consensu, citra dotem & instrumenta:posito autem matrimonio, quod est legitimationis causa, difficile videtur negare effectum. 2. quòd aliàs sequeretur natos ex concubina paupere, quæ dotem dare non potest, hoc modo non posse legitimari.

X.

Anceps hîc & inter summos Jctos in utramque partem (ut videre est apud Bachov. *ad Treutl. vol. 2. Disp. 7. th. 1. lit. D.*) agitata hîc sese nobis offert quæstio: An scilicet si sponsam vel sponsum antè ad tumulum, quàm ad thalamum genialem deduci contingat, statutum disponens de lucro dotis in marito & uxore, etiam in desponsatis habeat locum? In qua quæst. explicanda Interpretes hæerere tanquam mures in pice, ait Cypræus *de sponsalibus cap. 5. §. 35.* Eamque ita intricatam esse, ut decisione Imperatoria indigeat, statuit Mynsing. *6. Obs. 78.* Quicquid sit, affirmativam modò defendere conabor: maxime, præter alias à præclarissimis Jctis, ut M. Ant. Natta *tom. 2. Consil. 282. ibiq. alleg.* & Gailio *2. Observ. 80.* ut & Cothmanno *vol. 2. Resp. Jur. 78.* adductas rationes, fretus sequentibus. 1. quia ut *thesi 6. supra demonstravi* quæ disponuntur in nuptiis, ea etiam locum habent in sponsalibus. Jura enim loquentia in uno locum quoque habent in alio, ut rectè affirmat Barbosa *libr. 11. c. 16. ax. 11. lit. M. cum ibi alleg.* & hinc sponsalia quoq; veniunt nomine nuptiarum, *d. th. 6. 2. quòd per sæpe cita-*

tam l. 30. ff. de R. J. & can. 2. 27. quest. 2. cap. 23. x. de sponsal. consensus mutuus tantum requiritur ad perfectionem nuptiarum, non concubitus: qui saltem accedit non ut substantiam matrimonii faciat substantialiorem, ut loquitur Cothmannus d. Resp. n. 16. sed tantum ut matrimonii finem præcipuum, nempe liberorum procreationem impleat & efficiat; ideoque nihil aliud est, quam matrimonialis consensus executio. adde th. 6. supra inf. 3. quod statutum reciprocè vocans uxorem ad mariti, & maritum ad uxoris successionem, favorabilius est, ideoque ad extendendum facilius l. 1. ff. quod quisque jur. in alt. ideoque etsi statuti verbis mariti & uxores exprimantur, tamen & in persona sponsi & sponsæ idem servari debere consequitur. Maximè cum appellationes eæ nihil conferant ad matrimonii substantiam, sed ex re & occasione nascantur; itemque ex circumstantiis & accidentibus sumantur. Veluti ut ait Cothm. d. Resp. n. 118. fœmina dicitur à femore, Isidorus libr. 2. c. 1. quod utrique tam uxori, quam sponsæ competit; sic conjux appellatur propter jugum, cui sponsum & sponsam, quoad destinationem & initium jugi in matrimonio perferendi, subjectam esse dicere possumus. Sic mulier nominatur à mollitie, & mulieris nomen quoque utrique competit, ut infra th. 23. probabitur: sic maritus à mare nomen accepit, & in sponsum etiam quadrat. Imò quod sponsam non uxorem nuncupemus hoc non fit, quod non sit uxor, verum quod festività nuptiarum nondum intervenerit, & usitatum esse scimus etiam sponsam appellari, quamdiu dies solennes & festivi durant. Ut taceam, ipsos maritos, postquam jam liberos ex uxore susceperunt, ab ea sponfos vocari, ut th. 19. infra dicitur. Hic ab ipsa verecundia mantile accipimus, ut fiamus eò mundiores, & ludamus

— innocuis verbis —

4. Ratio est, quia causa impulsiva & efficiens pactorum dotalem est matrimonialis affectio, ac matrimonii fœdus; & Zelus amoris intensi, in quo, qui est, & esse debet, inter sponfos & sponsas, Ecclesia & Ecclesiæ Sponsus describitur. Cothm. n. 67. & hæc æquè sponsis ac maritis sunt communia. Denique 5. quod causa finalis est, ut sponfus vel maritus superstes aliquid habeat in amissæ sponsæ vel uxoris solatium. Proinde cum hæc omnia, & tam causa efficiens, quam finalis æquè in desponsatis ac nuptis mi-

pris militent, non est dubitandum, quin idem quoque jus constitui oporteat. *l. 32. ff. ad L. Aquil. l. ult. C. de constit. pec. aliisq; legibus citatis à Barbosa lib. 16. cap. 5. ax. 13.* Et pro hac affirmativa à Facult. Jurid. Rostochiensis, consentientibus omnium Collegarum suffragiis, bis pronunciatum esse, asserit Cothmannus *d. Resp. n. 94.*

XI.

Præcipua spicula, quæ dissentientes hic contra nos torquent, eorum 1. est, quòd statuti verbis præcisè sit inhærendum Gail. *d. Obs. 80.* Sed respondeo cum Gæhauf. 2. *Peric. 4. qu. 22.* non tamen statuta Judaicè esse intelligenda; imò potius secundum *l. 15. ff. de ll.* Quotiens lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, interpretatione suppleri. 2. nihil magis est, quòd in contrarium dissentientes rapiat, quàm, quòd ratio statuti disponentis de lucro dotis respiciat onera matrimonii *l. 7. pr. ff. de I. D. l. 56. §. 1. l. 76. f. l. 20. C. eod.* quæ causa, cum cesset in sponsis; & cessare debere effectum, dicunt: & ita ubi deficit antecedens, deficit, etiam consequens. Verùm enim verò quia nulla ratio exprimitur, respondeo negando hanc fuisse rationem introducendi statuti, ideoque potius 1. fuisse favorem publicum, ut viri invitarentur ad contrahenda matrimonia, & ut mulieres eò citius viros invenirent Gail. *d. l. n. 6.* 2. alia potest etiam assignari ratio secundum Bald. *cit. à Natta Consil. supr. 10.* quam verbo *th. preced.* jam attigi, videlicet, quòd statutum in solatium dilectæ conjugis hoc lucrum concesserit: sicut in solatium amissi filii Scutum Tertullianum successionem matri detulit. Quin imò 3. non videtur, quòd illa ratio onerum matrimonii fuerit considerata à statuto; quia propterea deputati sunt fructus dotis *d. l. 28. C. de f. D.* Et 4. statutum loquitur de lucro, ideoque apparet, quòd non respexerit onera matrimonii: quia lucrum dicitur id, quod habetur deducto omni onere *l. 30. ff. pro socio & glossa in l. 20. C. de collat. v. Barbosa, libr. 10. axiom. 12. cap. 29.* Et 5. si ponamus statutum constituentes considerasse onera matrimonii, sufficere debet, ut lucretur sponsus, quòd se obligaverit ad onera; licet accidentaliter & casu ea non subierit. Inspicienda enim magis est intentio & propositum, quàm eventus: & casum adversamque fortunam spectari hominis liberi, neque civile, neque naturale

est, ut rectè ait *Paulus in l. 83. §. 5. ff. de V. O.* Hinc *Bachov. vol. 2. D. 7. ad Treutl. th. 1. lit. D.* respondet rationem lucrandi, non tantùm pendere à ferendis oneribus; sed & à præsumta voluntate, & affectione nuptias contrahentium, & de lucro paciscentium: qui interrogati procul dubio respondissent, idem se obtinere velle, si alter ante consummationem decesserit. Unde *Gail. cit. loc. ex sententia Castrenf.* rationes in contrarium magis dicit esse apparentes, quàm existentes. Et ultimò, annon possunt ante concubitum magni sumtus fieri, ac semper ferè fiunt, puta, in conviviiis, muneribus sponsæ missis, aliisque? v. *Nattam Consil. supra alleg.* Tertium denique quod objiciunt, est *l. sancimus. 24. C. de nupt.* ubi dicitur, quòd sub conditione nuptiarum promissum non debeat, nisi accesserit ipsa nuptiarum festivitas. At verò mihi videtur textum illum planè huc non quadrare, quia in eo agitur de duobus paciscentibus de dando aliquid, aut faciendo, sub conditione, quando illa aut illa nupserit. Et decidit *Imp. tum non ætatem, aut aptitudinem nubendi inspiciendam esse; sed tempus, ex quo vota processerunt, i. e. in matrimonium consensum est, per multoties cit. l. 30. de R. J.* Alias objectiones & responsiones qui desiderat, adeat *Cothmann. d. Resp.* ubi omnia, quæ objici possunt, accuratè refutat, & *Bachov. ad Tr. l. cit.*

XII.

Ratione difficillimæ hujus quæstionis cautelam omnis controversiæ evitandæ causâ, ex *Gail. d. Obs. 80. f.* & *Hahn. ad Wes. ff. de sponsal. n. 7.* hîc addo, quòd tutissima & expeditissima via sit, ut in pactis dotalibus tempus lucrandæ dotis expressè ineratur, quando videl. hujusmodi lucrum valere debeat, utrum statim post contracta sponsalia, an verò consummatis nuptiis. Id quod, ut ait *Gail. d. l.* à prudentioribus plerunque fieri consuevit, qui in pactis nominatim hoc exprimunt; quoniam notum est, contractus ex conventionem legem accipere *l. 1. §. 6. ff. depositi, & pacta dotalia probè esse servanda, tot. tit. ff. de pact. dot. & C. de pact. conv.* adde *Hahn. d. l.* ubi in foro Saxonie, aliisque locis notat requiri ingressum thori maritalis, daß das eheliche Wette werde beschritten. *Treutl. vol. 2. D. 7. th. 1.* ut patet ex statuto *libr. 1. Landrecht. art. 31. & 45. libr. 3. art. 45.* So bald der Mann des Weibs Wette beschreitet / so ist er sähig worden aller fahrenden Daaber

Haabe/so das Weib hinder sich läßt/wann sie stirbet. Item, der Mann ist auch seines Weibes Vormund/ ob er sie gleich nicht eben bürdig ist/ vnd sie ist sein genossen/ vnd thut ihm sein recht/ wenn sie in sein Bette tritt. v. Arnif. c. 3. sect. 12. n. 22. 23. Hoc quum animadverteret Nicol. Henelius ab Hennenfeld. d. Jur. Dotal. c. 4. §. 4. hanc facti speciem proponit: Quòd si contingat, ut sponsus ipsâ festivitatis nuptialis die, post Ecclesiasticam copulationem, decedat, antequam sponsa pedem lecto geniali mariti cubantis intulerit, tamen si de jure Civili expedita esset quæstionis resolutio; magis tamen est de jure Saxonico, dotalitium aliaque lucra nuptialia tunc non deberi. Cui quidem sententiæ præter Juris interpretes, in quibus sunt Moll. libr. semestr. 3. num. 5. & ad Constit. Elect. 19. part. 3. num. 5. Beust. Pensold. ad d. Const. & ad eandem Carpzov. & ipse Serenissimus Elector patrocinator. Ne nunc agam de jure provinciali Ducatus Prussiæ, aut de jure Statutario inclytæ reip. Mœno-Francofurtanæ, aut etiam de Berlichio, qui part. 3. concl. 25. num. 40. & seqq. distinguit inter portiones merè lucrativas, & inter dotalitium, quod ex causa onerosa habeat mulier. Hoc enim esset limitare Constitutionem, quæ generalibus verbis concepta est.

XIII.

VII. Apparet sponsam æquiparari uxori, quòd quemadmodum uxor habet jus prælationis in bonis mariti l. ult. §. 1. C. qui pot. in pign. sic etiam sponsa in bonis sponsi l. 17. §. 1. ff. de reb. auth. jud. poss. v. Struv. Ex. 26. th. 14. Brunnem. in Comm. ad Pand. l. h. Quod tamen, cum sponsa ratione dotis privilegium tacitæ hypothecæ in bonis sponsi non habeat. v. supra th. 6. ipsam habere tanquam privilegium personale, l. 74. d. I. D. ut chirographariis creditoribus præferatur, vult Carpz. p. 2. Jurisprud. Forens. Const. 24. Def. 5. Hahn. ad Wesf. n. 1. in quib. caus. pign. vel hypoth. contrah. quamvis hanc quæstionem esse valde dubiam fateatur Brunneman. d. l. Sed quoniam dos rarò ante nuptias solvatur, ideò non multum laborasse Dd. in hoc puncto asserit. adde Vanderanum de privil. cred. cap. 4.

XIV.

VIII. Cùm L. Julia cavetur, ne invito denunciatur, ut testimonium dicat adversus focerum vel generum l. 4. ff. de testibus. generi nomine sponsum quoque filiaè contineri placet, item foceri sponsæ patrem, ut inquit Cajus in l. 5. ff. eod. ad def. th. 7. in f.

I X. Quamvis plena affinitas non oriatur ex sponsalibus, utpote quæ nascitur ex concubitu conjugali inter eas personas, quæ ipso tempore conjunctionis fuerunt marito, vel uxori conjunctæ v. Magnif. D. Rebhanium, Jurisprudentiæ & inclytæ Universitatis Argentoratensis lumen & columen, Patronum, Præceptorem & Hospitem quondam meum exoptatissimum, honoratissimum *Hodog. Jur. chart. 2. clim. 1. parall. 3. num. 21. & 26. publicæ tamen honestatis intuitu sponsam fratris frater habere non potest, licet corpore non convenerint, ut loquitur Imp. Zeno in l. 8. C. de incest. & inut. nupt. can. 11. 27. q. 2. & cap. 4. x. de sponsal. ibiq. Glossa. Suthold Dissert. 2. aph. 43. Nec pater potest contrahere matrimonium cum sponsa filii. Nam etsi constet, nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam novercam, rectius tamen statuit Imp. & jure facturos eos, qui ab hujusmodi nuptiis abstinuerint §. 9. Inst. de nupt. Etenim quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor. Vinn. Comm. ad Inst. d. §. Et in conjunctionibus non tantum quod licet, sed & quod honestum est considerari oportet, l. 42. pr. ff. de R. N. l. 197. de R. J. vid. Resp. Facult. Theol. Rostoch. ap. Carpzov. Consist. p. m. 166. qui tamen libr. 2. eod. tit. 7. defin. 121. magistratum hoc in casu dispensare posse, cum Beza de repud. & divortii p. 88. defendit, quoniam hæc prohibitio non divini, sed positivi juris videtur.*

XVI.

X. Utin conjugatam committitur adulterium: sic etiam in sponsam, l. 13. §. 3. & 8. ff. ad L. Jul. de adult. ubi divi Severus & Antoninus eleganter rescripserunt: neque matrimonium qualecunque, nec spem matrimonii violandam esse. Et quamvis contrarium suadere velit Covarruv. part. 1. tom. 1. c. 1. & textum hujus l. 13. ad vindicationem atrocis injuriæ restringat, reclamat tamen rubrica, & particula *hoc idem* omninò respicit ad præcedentia verba, in quibus non de injuria, sed de adulterio agitur. Notandum tamen hic ex Heigio *Quest. Jur. part. 2. q. 28. n. 35.* quòd in favorabilibus uxori sponsa comparetur, & sponsus jure mariti utatur, non verò in pœnalibus. Hinc nec adulterium in sponsa commissum æquè gladio puniendum, ut in l. 30. §. 1. C. ad L. Jul. de adult. in sacrilegis nuptiarum Imp. Constantinus id constituit. vid. Treutl. vol. 2. *Disp. pen. th. 2. lit. e.* ubi rationem addit Bachov. *ibid.* quoniam

quoniam hîc non vera thori violatio, sed spei. Neque tamen mirum, quòd hîc accusatio super adulterio constitui potuit, quia eadem stupri & adulterii pœna ex L. Julia fuisse videtur. Stuprum etenim & adulterium promiscuè L. Julia sumit. l. 6. §. 1. ff. eod. l. 101. ff. de V. S. ibiq; Gœddæus. Non quòd stuprum sit adulterium, aut alterum altero latiùs se habeat; sed quia stuprum & adulterium Legis Juliæ sunt commune objectum. Obiter nota ex Heig. d. l. n. 26. quòd posteriorum Græcorum Imperatorum ætate ei, qui sponsam alienam volentem compresserat, nasus fuerit amputatus; qui invitam corruerat, insuper tertiam partem bonorum stupratae dare fuerit coactus. Græci agebant in naso amputando, quod in oculis Locrenses, qui voluerunt exoculandum, quisquis adulterii convinceretur, Putean. in *palestr. b. m. exerc.* 7. in tertia parte bonorum est pœna stupri, aut est id, quod pœnam stupri æmulatur, §. 4. I. d. *publ. judic.* De Jure Divino pœna, ut patet ex Deuteron. 22. v. 23. lapidatio fuit, quæ tamen hodie non obtinet, cùm jus illud forense ex communi sententia nos non obstringat. Wefenb. *ad ff. de R. N. n.* 8. & illo jure etiam simplex stuprum in filia, sub patris potestate constituta, & non sponsa morte fuerit vindicatum. Bachov. *ad Tr. vol. 2. D. 6. th. 1. lit. C.*

XVII.

XI. Quemadmodum uxor propter adulterium dimitti potest: ita & multò magis sponsa potest repudiari, si cum alio concubuerit. *Quomodo enim, ut sapientissimè ait Leo Imp. in Nov. 93. vera sponsalia sunt, in quibus nihil verum & genuinum conspicitur? ubi meretricium se offert scelus, ubi causa sunt dissidiorum & odii, ubi animorum alienatio? (Quæ mala acervatim omnia cum peregrino alienoq; semine suscipiuntur) quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus, sponsalisq; est amor? Quin ut quispiam alterius fœtum sibi subjiciat, id v. ratio non patitur. Neq; item justum est, ut qui spe honestæ casti matrimonii oblectationis sponsam in domiciliu suum recipere constituerit, si illa matrimonii l. gibus insultet, & cum aliis lasciviendo oblectationis spem evanidam ipsi reddat, in meretricia illa facilitate ipsam uxorem agnoscere debeat.* Et rectè hinc infert Carpozov. *Jurisprud. consist. lib. 2. tit. x. defn. 148.* quòd si divortium conceditur, matrimonio jam per nuptias consummato, ob adulterium conjugis superveniens, prout expeditum *Matth. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9.* multò magis utique repudio locus erit, si contractis sponsalibus sponsa fornicetur.

nicetur. Non minus siquidem crimen habetur fornicatio sponsæ, quam adulterium uxoris, de quo & *th. preced.* Et sponsa alteri copiam sui faciens adultera vocatur, *Hof. c. 4. v. 13.* Estque hoc ipsum argumentum ab adulterio ad sponsalia desumptum, quo Pontifex Innocent. III. dissolutionem sponsaliorum probat, quando *cap. 25. x. de jurejur.* inquit: *Nam si post contractum conjugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere, longè fortius ante conjugium celebratum, propter eandem causam, sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam: quia*

Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.

Affinis huic assertioni est quæstio illa, an si quis ignorans duxerit ab alio compressam vel gravidam, quam virginem esse credebat, matrimonium propterea dissolvi queat? Ad quam in antecedentibus eadem conclusio est responsum, & sequentia *th. 21. plenius* respondebunt. V. *Suthold. Dissert. 2. aph. 53. & Hahn. n. 8. de R. N. Beust. part. 2. c. 34. & 35. Carpzov. Jurisprud. for. part. 4. Conf. 20. Defin. 12.* Unde non difficulter sumitur exceptio, nisi versemur in casu dubio, da die That nicht beandt oder erwiesen / sed mulier saltem suspicionibus gravatur. Quam, ut & alias circumstantias probè observandas esse statuunt *Dd.* quæ videri possunt apud *Hahn. ad Wesf. d. l.* Et qui plura hac de controversia desiderat, adeat *Herm. Gøehauf. Peric. Acad. 7. part. 3. q. 39.* ubi fusissimè quæ de ea disputari possunt examinat, & *Cothmannum vol. 2. resp. 53. à num. 1. vol. 3. resp. 16. à num. 70.* Et v. non omnis mariti suspicio fit probatio: jure mariti, de quo in *l. 6. C. ad L. Jul. d. adult.* suspicari est concessum; necerit abigeus, qui suspicionis reum abegerit. Abigi potuisset ille famulus, qui in *d. resp. num. 79.* uxoris labium inferius percussit, ut ex reflexione sonitum ederet; quem tacitum, impudicitæ ludum dixit *Baldus in c. tua. x. de procur. num. 4.* Vide eundem in *l. ult. in fin. C. si mancip. ven. & Conf. 42. num. 3. vol. 5.* Ludovicum Romanum *Conf. 45. num. 9.* aut oportet maritum esse illum, cujus simplicitas, quòd Martem & Venerem in adulterio deprehensos ferreis vinculis colligaverit, in risum abiit. Sic *Ovidius libr. M. 4.*

Ut venère torum conjux & adulter in unum,

Arte viri, vinculisq; novaratione paratis,

In mediis ambo deprensi amplexibus hærent.

Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas,

Ad.

*Admisit q̄ Deos. Illi jacuere ligati
Turpiter, atq; aliquis de Diis non tristibus optat
Sic fieri turpis. Superi risere.*

Optimè Euripides, apud Arnif. c. 1. sect. 2. num. 2. dixit: Conjugia mortalium, quibus sunt felicia, illis est & vita beata. Et ex veritatis tripode Poëta:

*Uxor honesta, Dei donum, cor, vita mariti,
Fons sobolis, thalami gemma, corona domus,
Grata lumen opis, res latas suaviter ornans,
Adversasq; levans anteit orbis opes.*

XVIII.

XII. Et ultimò. Sicuti vasallus si cucurbitaverit dominum, s. e. cum uxore ejus concubuerit, vel concumbere se exercuerit, licèt non perfecerit, feudum amittit. 1. Feud. §. 4. Item si fidelis. sic etiam si cum sponsa domini: quia ad contumeliam sponsi spectat injuria, quæcunque sponsæ ejus fit. l. 15. §. 24. ff. de injur. Rosenthal tom. 2. Feud. concl. 27. num. 10. 11. 12. Ludvvell. in synops. jur. Feud. c. 16. Idque non in sponsa de præsentis solum locum habere, ut Petrus de Ravenna ap. Ludvvell. d. c. 16. voluit; sed etiam de futuro, statuunt Dd. quoniam & ipsa licèt propriè uxor non sit, l. 12. §. 1. §. 2. ff. de R. N. pro uxore tamen habetur. l. 4. ff. de fund. dot. l. 5. C. de bon. q. lib. Cucurbitare verò quoad vocis originem (ut in transitu illud hîc notem) Vultejus de Feud. libr. 1. c. 11. num. 54. asserit Hotomannum in suo Lexico Feudali deducere à voce corbita, quæ in LL. Longobardicis usurpata fuerit pro stupro & infamia; indeq; cucurbitam dictum, uxoris suæ adulterio infamem. Calvinus Lex. Jurid. in verb. cucurbitare annotat, Maritos cucurbitatos Parisiis ducci solere per civitatem ab uxore retrogrados super asinum, præcone clamante: *Qui sic faciet, sic accipiet.* Quod an adhuc in viridâ observantia sit, valde dubito. Potius asseruerim, uxorem à cucurbitato esse asino insternendam, ut subeat sui facinoris pœnam, l. 26. ff. de pœn. l. 22. C. eod. Alia insuper ratio suadet hanc assercionem; de qua vide Carpzovium in Jurispr. Consist. libr. 2. tit. 1. & ad L. Regiam. c. 9. sect. 1. n. 13. Berneggerum. q. misc. 107. Item per verba: *concumbere se exercuerit*: intelligunt Interpretes, si pudicitiam ejus attentaverit; puta, vel conando, ad proximum scilicet

actum perveniendo, vel turpiter cum ea ludendo, *d. S. item si fidel.* Quem lusum interpretatur Cujacius *libr. 1. Feud. tit. 2. si v. g. tulerit manus ad papillas, vel in sinum miserit; quia, ut ait ille ibid.* attentatio pudicitiae facinus aestimatur: quamvis *Wesemb. ff. ad L. Jul. de adult. n. 5.* dicat moribus Saxonum, non affectum & conatum, sed tantum effectum delicti puniri. Ubi tamen *d. n. 5.* annotat Bachovius, id non bene à *Wesemb.* quasi ad jus Saxonicum restringi; ita enim se rem in genere habere, ut etiam conatus, licet ad proximum actum venerit, ordinariam poenam non puniatur.

XIX.

Atque hæc in persona sponsæ, quod assimiletur uxori, dicta sufficiant; quæ plurimum quoque probant sponsum ex natura relatorum venire nomine mariti. A correlativis enim, teste *Everhardo in top. loco à correl.* procedit argumentum constructivè, & destructivè. Constructivè, ut: Posito uno correlatorum, ponitur & alterum, vel: Dispositum in uno, disponitur quoque in altero. Destructivè ita: Sublato uno correlatorum, tollitur quoque reliquum, vel: Ad remotionem unius correlatorum sequitur remotione alterius. Vide optimè ex Jure nostro hæc deducta exemplis *ibid.* Et patet id ex loco *Gen. 19. v. 14.* ubi dicit sacra scriptura: Egressus itaque *Loth*, allocutus est, generos suos, qui brevi erant ducturi filias suas. Idemque apparet ex *suprà alleg. l. 6. S. 1. & l. 8. ff. grad. l. 4. ff. ad L. Pompej. de parricid. & l. 5. ff. de testib.* Sic quoque cingendus habetur pro cincto, *l. pen. ff. de testam. milit. ibique glossa.* Cui plurima axiomata addit *Tiraquell. LL. Connub. Gloss. 2. pr. Wesemb. ff. de sponsal. Gail. 2. Obs. 80. n. 8. & 9.* Imò maritus quandoque appellatur sponsus, ut patet ex loco *Exod. 4. v. 25.* ubi *Moses* ab uxore sua *Zipora*, ex qua jam liberos susceperat, sponsus appellatur.

XX.

Veruntamen præter ea, quæ de sponsa superius dicta sunt, speciale hoc in sponso est, quod ipse possit injuriarum actione uti nomine sponsæ, quia ut *ib. 18.* dictum, spectat ad contumeliam ejus injuria, quæcunque sponsæ ejus sit *l. 15. S. 24. ff. de injur. Salmuth. Responso Jur. pro matrim. Princip. cum Virgine Nob. p. m. 62.* sicut & contumelia uxori illata, marito illata censetur. arg. *l. 1. S. ult. ff. eod.* quæ non tantum facit mentionem potestatis, sed etiam affectus.

fectus. Ubi tamen notandum, sponsum quando agit jure mariti considerari in relatione ad sponsam, non verò resp. extranei. Obtinere verò hæc vindicatio injuriæ in sponso ratione sponsæ, non contra in sponsa ratione sponsi, quoniam mulier non habet legitimam personam standi in judicio, *l. 2. de R. J.* Quòd idèd evenit, quia alienum est à pudore sexus muliebris virilia facere officia *l. 1. ff. de postul. l. 1. §. 1. Ad Sctum Vellej. l. 21. C. de procur. vel quia naturalis pudor non omnibus perperam se manifestare concedit. l. 14. C. de contrab. & comm. stipul. vel quia ipsarum consilium infirmum & fragile est, & plerumque adversus propria commoda laborare invenitur. l. 4. C. de Sponsal. v. Gunzel. ad tit. ff. de Reg. Jur. l. h. Et accedit insuper hæc ratio, quòd uxores à viris, non viros ab uxoribus defendi æquum sit. §. 2. *Inst. de injur. l. 2. ff. eod.* Notandum autem actionem injuriarum sponso adversus injuriantem competere, si modò hic sciverit sponsam fuisse. *Struv. Exercit. 48. thes. 56.**

XXI.

Quoniam *th. 17.* affirmavi sponsam repudiari posse, si cum alio concubuerit, meritò hîc etiam quæritur, an idem obtineat in sponso? Et forsitan ex natura correlativorum, quæ eandem facere solent juris dispositionem, ut modò *th. 19.* dixi, hoc affirmandum videretur; cum non facilè uxori denegandum, quod marito conceditur *arg. l. 13. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult.* Contrarium tamen cum *Carpzov. Jurispr. For. part. 4. def. 13.* defendere animus est. Et quidem ad propositam dubitandi rationem, respondeo: Correlativa pari dispositione juris gaudere, si ipsorum non sit diversa ratio. *Haned. Ex. 5. q. 25. Barbof. libr. 16. c. 23. ax. 6.* ut taceam majorem dignitatem esse in sexu virili *l. 1. pr. ff. de senat.* & in multis nostri juris articulis deteriorem esse conditionem fœminarum, quàm masculorum. *l. 9. de stat. hom.* Diversæ verò hîc sunt rationes (1) metus suppositionis alieni partus *supr. cit. Nov. Leon. 93.* ubi magna infertur injuria toti familiæ, nedum marito, per institutionem stirpis adulterinæ: quod in viro timeri nequit, cum ejus fornicatio non incidat, nec se porrigat in ipsum matrimonium, ut imprægnatio mulieris; sed illud saltem præcedat. *Gæh. Per. 7. q. 39. part. 3.* Adèd ut ob eam solam causam, sponsam repudiari posse, quæ ab alio stuprata, affirmet *Carpzov. d. l. (2)* Deficit

hic authoritas divini Juris, quod tantum tractat de sponsa compressa ab alio *Deut. 22. v. 28. & seq.* Et quamvis lex Mosaica judicialis ad nos non pertineat, ut supra dictum, exemplum tamen istius legis munit conscientias. Beust. & Carpzov. *d. l.* Quid? quod & major castitas in foemina, quam in masculo requiratur. *Gœdd. ad l. 101. num. 4. de V. S.* longeque detestabilior & foedior est foeminarum impudicitia. *arg. l. 1. C. commun. de manum. & l. 1. C. de mulier. quæ propr. serv.* Post alias dubitandi rationes, quas accuratè collegit Magnif. D. Brandmyllerus in *Disput. Inaug. de Lege 15. 39.* est & illa, quod tacitum non plus operetur, quam expressum, *l. 3. si cert. pet.* sed conditio expressa sponsalibus apposita: *Ducam te, si te invenero virginem,* non vitiat matrimonium. E. multò minùs tacita. Respondet Eberhardus in *Top. loc. ab express. ad tacit.* Tacitum non plus operari, quam expressum in eodem casu, aut facto: secus in factis diversis. Nec ipsa expressa conditio hæc approbanda est, sed planè rejicienda. Tum, quia præsumtio est pro virgine, quod talis sit, si pro virgine se gerat. Secundùm namque juris dispositionem quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium, *arg. l. merito. 52. ff. pro solio.* Tum, quia & propterea temerè adjicitur conditio prædicta, quia aut suspectam habet sponsus virginem vel sponsam suam, aut non. Si habet suspectam, differre debet matrimonium, donec constet de eventu, Si non habet suspectam, cur hanc apponit conditionem? Est alia dubitandi ratio *ex l. 11. §. 5. ff. d. act. emt.* Responderi potest, id non impertinenter ab Interpp. adduci. Si enim emptio eam ob causam nullius est momenti, quando corruptam mulierem, vilissimam ancillam, pro virgine emo per errorem: quantò magis id in causa criminali, utpote re majoris momenti & præjudicij, dicendum videtur, cum matrimonium omnibus rebus venalibus præcellat. Sed respondeo, quod *d. §. 5.* agat de emtione virginis, & sic de servili corpore, quod æstimationem recipit & vendi potest: ubi non iniquum est id redhiberi, si vitiosum deprehendatur, cum redhibitio etiam propter leviusculum vitium servi permittatur *l. 1. & t. 1. ff. de adul. ed.* Secus est in liberis hominibus, ubi præsertim alia accedit regula, quæ dicit: Corporis liberi nullam esse æstimationem *l. 1. §. 5. ff. de his, qui effud.* Quia igitur hoc nostro casu damnum nequit rescari, cum nequeat æstimari, æquius & melius est tale matrimo-

matrimonium irritum pronunciari, & in tanto dolo deprehensam gravissimè puniri, ne delicta maneant impunita. l. 51. ff. ad L. Aquil. §. 2. Ex hac dubitandi ratione nascitur nova: Non subesse dolum, qui det causam contractui, sed esse dolum incidentem. Resp. non esse dolum talem, qui incidens dicatur, siquidem sponsus ab initio vult eligere castam; sponsa verò se virginem prædicat, quæ non est; & ita dolo malo inscium circumvenit sponsum, cui tanquam virgo proba fidem dedit matrimonii. Quamobrem non habuit apud Plautum in *Mercatore* Syra de quo conqueretur;

*Ecastor lege dura vivunt mulieres,
Multoq; iniquiore miseræ, quàm viri.
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune est viro.
Uxor verò si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.*

XXII.

Sed pergo nunc ad alterum Disputationis hujus membrum; probans etiam uxorem posse considerari ut virginem. Et quidem primò observandum ex *Gœddæo ad l. 13. pr. ff. de V. S.* apud majores indiscretè usurpata fuisse virginis & mulieris vocabula. Sic enim *Virgil. in Bucol.*

Ah virgo infelix! quæ te dementia cœpit?

Cùm tamen constet *Pasiphaën*, de qua *Poëta* loquitur, ex *Minoë*, ante nivei amorem tauri, filios suscepisse. Et *Terent. in Hecyr.* mulierem post partum appellat virginem. Nam, inquit, vitium virgini oblatum est à, nescio, quo improbo. Deinde, ex mulieris persona, una tantùm est causa, teste *Zachia Quest. Med. Leg. tom. 1. libr. 3. q. 1. n. 22. & q. 3. n. 3. & 4.* nempe claufura, arctatio seu angustia oris externi, & cervicis ipsius uteri: de qua etiam loquitur l. 14. §. 7. ff. de edil. edict. *Mulier si ita arcta, ut mulier fieri non possit, & cap. fraternit. 6. x. de frigid. & malef.* Describit eas metaphoricè ex *Specul. tit. de frigid. & malef. n. 2.* *Hassæus sesquicentur. Differ. Jur. Civ. & Can. Disput. Basil. tom. 7. th. 85.* Vide etiam *Magnif. Dnum Brandmyllerum in Manud. ad Jus Civ. & Can. in Diff. Spado removetur &c. Diff. Sterilitas non est. &c. Diff. Virginem esse & esse honestam conveniunt. Diff. Impotentia seu frigiditas &c. Martinum Perez. ab U nanoa Disp. 37.*

sect. 2. Petrum Franciscum de Tonduti Sanlegerium *quasi. & resol. benef. part. 1. c. 79.* Vocantur aliàs hæ mulieres, attretæ, clausæ, seu imperforatæ. *Zach. libr. 2. tit. 1. q. 13. n. 23.* ubi etiam addit rationem Physicam, quare ita vocentur. Adde Martinium in *Lex. Philol. voce attretus.* Impedit hæc causa, quò minùs debitum conjugale sibi invicem conjuges præstare possint; seu, ut loquitur *d. cap. x.* quò minùs mulier à marito suo carnaliter cognosci queat; nec ille pater, aut illa mater dici possit. Et putat Pontifex *ibid.* quòd illud impedimentum non sit perpetuum, sed quòd præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo possit removeri: ideoque sententiam pro divortio non esse ferendam. Hinc eo loco Papa duas subjungit quæstiones. 1. quâ quæritur: Utrùm ea, quæ adedò arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio modo violentia inferatur, non solummodò levis, sed fortè tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur; utrum, inquam, ad matrimonium contrahendum idonea debeat perhiberi? Et rectè respondet Glossa, quòd non. Quamvis enim favor matrimonii magnus sit, non tamen cum vitæ dispendio finis ejus promoveri debet. 2. similiter quærit: si illa, quæ viro, cui nupsit, adedò arcta sit, ut nunquam valeat ab ipso deflorari; si ab ipso per judicium ecclesiæ sit separata, & nubat alteri, cui arcta non sit, & per frequentem usum secundi, reddatur etiam apta primo, utrum ad eum redire debeat, cum quo priùs conjugale fœdus inierat? Et respondet Papa 1. non esse de talibus facillè judicandum. Rationem addit Glossa, quia nescitur, an sit apta viro primo: & hoc aliquo jure perpendi non posse; sed potius per experientiam facti, ad quod cum læsione castitatis non facillè provolandum. 2. respondet, finale judicium hîc pendere ex futuro. Quod, ut ait Glossa, non intelligendum, quasi matrimonium retrahatur; sed hoc idedò dici, quia in dubio est, an sit matrimonium cum primo: nec cogitari oportet, quòd tum demum incipiat esse matrimonium cum primo; sed quòd tunc declaretur fuisse matrimonium.

XXIII.

Illud hîc non prætereundum, quòd mulieris appellatione & nupta & innupta contineantur, ut apparet ex *l. 81. §. 1. ff. de leg. 3.* ubi mulieribus legatis, & virgines debentur. Sic enim mulieres appellan-

appellantur, quæcunque sexus fœminini sunt, l. 23. S. 9. ff. de aur. arg. mund. leg. l. 11. S. 1. ff. de contrab. emt. d. l. 14. S. 7. de edil. edict. & mulier tanquam genus, comprehendit sub se corruptas & incorruptas. Nam si utrinque species contineatur, virgo mulieris appellatione non continetur. v. sæpius laudatum Magnif. Dnum Brandmyllerum *Manud. J. C. & C. Differ. Virgo & mulier.* Cui addit Gœdd. ad l. 13. de V. S. n. 7. quòd inspiciendum, an vox mulieris prædicetur de sexu, aut de sexus qualitate & differentia: priori acceptione esse genus; posteriori verò mulierem à virgine tantum differre, quantum una ejusdem generis species differt ab altera, & tunc mulier dicitur, quæ virum passa est, l. 38. S. qui abort. 5. ff. de penis. adde Wissenb. ad d. l. 13. ubi refert eodem sensu Cicero-nem, irrisum, quòd sexagenarius virginem Pompiliam duxisset, dixisse: Cras mulier erit. Animosior erat illo altero, qui

Non potuit cupiens pariter cupiente puella:

& reluctanti infufurrabât, quod genetrices infufurrare solent: fortuna, quam tulerunt hætenus nuptæ,

Siste precor lacrymas, ista ferenda tibi est.

Notandum tamen quòd usus obtinuerit, nuptas mulieres appellari, docente Gothofredo in not. ad l. 19. S. ult. lit. m. ff. de V. S. Observatu quoque dignum, viduam etiam prædicari tam de ea, quæ nunquam nupsit, quàm ea, quæ nupsit & post mariti obitum communiter ita vocatur. l. 242. ff. de V. S. ubi adde Gœddæum, & Corvinum. & Nævizan. *Sylv. Nupt. p. m. 573.*

XXIV.

Relatè verò, scilicet ratione mariti, uxor potest dici virgo, primariò propter viri impotentiam coeundi. Sic refert Salmuth. *Resp. Jur. supra cit. p. m. 70. ex Lipsio ad Janum Doufam* haud vulgare Epigramma, de pudica fœmina hîc Basileæ, quæ quindecim annos in conjugio viri non viri vixit, & tamen, mirabile dictu! sine querela:

Ipsa loquitur:

Passa thorum: non passa virum, Lucretia nostri

AEvi ego, postgenitis nobilis historia.

Quæ virgo & matrona simul, duo lustra peregi

Nupta innupta simul: semiviri atque viri.

Conju-

*Conjugium tenui, cujus languentia membra
 Non Venus aspexit, non ruber ille deus.
 Sed tacui atque tuli, non hanc vicina querelam
 Auduit aut frater, aut pater, aut genetrrix.
 Heu! malè pro meritis tribuuntur præmia fama,
 Alceſim exoricens ſol ſcit & occiduus:
 Solam me Basilea. Sed eſt, me iudice, majus
 Semper ab igne uri, quàm ſemel igne mori.*

Sed quamvis de hiſce novus hîc diſcurſus inſtitui poſſet, ne ta-
 men teneriores auriculas offendam, multus hîc eſſe nolo: ideoq;
 Lectorem Ben. ad Zach. ſæpiſſimè citati *librum 3. & 9. per totum,*
 remitto, ubi ſufficientiſſimè quid, & quoruplex ſit, & ex quibus
 cauſis impotentia oriatur, deducta reperiet. Interim tamen quo-
 niam in Jur. Canon. integer exſtat titulus, nimirum 15. x. *de fri-*
gid. & malef. non poſſum, quin de hiſ breviter quædam annotem.

XXV.

Frigidi ſecundùm Calv. *Lex. Juid.* dicuntur, qui ex natura-
 lis caloris defectu coire non poſſunt. Plenius eos deſcribit Zach.
libr. 9. tit. 3. q. 2. quod frigidi in propria ſignificatione dicantur,
 qui ob partium genitalium ignaviam, ab imbecillitate nativi ca-
 loris prodeuntem, ad coitum in ætate habili ſunt impotentes.
 Addit, ſe notanter dicere *ad coitum*, quia apud J Ctos, ut Sanchez.
 & alios, ad matrimonii validitatem non requiratur potentia ge-
 nerandi, ſed coëundi, cùm per coitum vir & uxor fiant una caro.
 Differunt verò frigidi à maleficiatis, quod, quemadmodum ſi
 impotentia ſit univerſalis, hoc eſt, quoad omnes mulieres, quia
 vir cum nulla poteſt coire, præſumenda potiùs ſit frigidity,
 quàm maleficium: ſic è contrà, ſi vir cum omnibus coire poſſit,
 præterquàm cum una, aut ſi cum una tantùm poteſt coire, & non
 cum ulla alia, non frigidity, ſed maleficium ſit præſumendum.
 Cuius ratio eſt duplex, una ex parte naturæ, altera ex parte dæ-
 monis. vid. hæc eleganter & accuratè deducentem Zach. *l. cit.*
n. 28. & 29. Remedium ridiculum contra frigiditytatem vid. ap.
 Næviz, *p. 169. n. 130.* ubi refert ex Mirandula, de quodam viro
 ſibi familiari, qui ad Venerem nunquam aſcendebat, niſi vapu-
 latus uſque ad ſanguinem, & tamen coitum ita appetebat, ut fœ-
 minæ,

minæ, quam adibat, flagellum, pridie sibi ad id officium aceti infusione duratum, exhibuerit, supplex ab ea verberari postulans: à qua, quantò duriùs cæsus fuit eò ferventiùs incaluit. Et affirmat, se nunquam vidisse ullum clericum de frigiditate conquirentem: quo, dicit, procedere ex ampla tonsura capitis, quam laici non habent, & sic per capillos in vertice ipsos fumositatem exhalare non posse. Hinc forsan evenit, quòd monachus cù monacha in angulo, non præsumatur esse angelus, aut cum illa orare pater noster. Huc pertinet, quod refert Harsdorfer Schauptatz lust. vnd lehrreicher Geschichte. hist. 59. Von den Nestelnüpfen/quod aliàs vocant ligaturam magicam. Arnif. p. 305. & in Galliis non est inter rara contingentia. Describitur ab Harsdorfero *dict. loc.* Wann vnter wâhrender Einsegnung zweyer Eheleute, ein Neben Buhler/ oder sonst heidischer Mensch/ des Hochzeiters Nestel welche er in den Hosien getragen / mit gewissen worten zusammen knüpfet/ daß er seiner Verrauten die Eheliche Gebühr nicht leisten kan / biß solcher Nestel wieder auffgelöset wird. Quod non naturali modo, sed dæmonis auxilio perfici, rectè *ibidem* statuit; ubi etiam tragicum exemplum subjungit. Vide etiam Cornelium Agrippam, authorem, si quis alius, hujus superstitionis callentissimum; l. 1. de occult. philos. c. 40, ubi ita habet; Restat nunc videre rem magnæ mirabilitatis, ut est ligatio hominum, in amorem vel odium: in egritudines & sanitates, & ejusmodi. Item ligatio furum & latronum, ut in aliquo loco furari non possint; ligatio mercatorum, ut in aliquo loco emere vel vendere nequeant; ligatio exercitus, ut metam aliquam transire non possit; ligatio navium, ut nulla vi ventorum etiam infinitis velis per ventum tensis, portum egredi minime valeant. Item ligatio molendini, ut nullo impetu volvi possit: ligatio agri, ut fruges in eo produci nequeant; ligatio loci alicujus, ut in eo exædificari non possit; ligatio ignis, ut in aliquo loco accendi non possit, & quòd aliquod combustibile, apposito fortissimo igne, non ardeat. Item ligatio fulgurum & tempestatum, ut nocere non possint. Item ligatio canum, ut latrare non possint; ligatio avium & ferarum, ut volare vel fugere nequeant, & horum similia, vix credibilia, que tamen sapius experientiâ cognita sunt. Quæstionem an propter impotentiam mariti matrimonium dissolvi possit, datâ uxori licentiâ novarum nuptiarum vid. pro affirmativa decisam apud Carpzov. *Jurispr. Constit. libr. 2, tit. 11, def. 200.* cum rationibus *ibid.* allegg.

Ratione senii cùm quoque calor natus cesset, L. Julia vel Papiâ majores sexaginta annis, matrimonium contrahere prohibebantur; cùm, sicut fœminæ anno quinquagesimo cessant parere, l. 21. ff. de act. emr. ibique Gothofredus: ita illo tempore ii liberorum procreationi studere amplius non possint l. 15. S. pen. ff. de adopt. ne scilicet alienos pullos pro suis excludant, & instar curruçæ decipiantur, qui procreare non potest, ut ait Magnif. Dnus Brandmyllerus *Differ. Impot. seu frigid.* Deficiente enim calore nativo, secundum Zach. libr. 3. tit. 1. c. 3. n. 15. deficit unâ cum ipsis generandi facultas, & superest tantum ipsius senectutis meritum. Unde fœminæ hifce senibus junctæ solent appellari viduæ, ut videre est ex illo Plauti in *Mil. glor. 4. scen. 2.*

Pyrg. Nupta ea est an vidua? Et nupta & vidua.

Pyrg. quo pacto potis

Vidua & nupta esse eadem! P. quia adolescens nupta est cum sene.

Quod imitatus Poëta Italicus sub cujusdam fœminæ personæ, quæ seni erat nupta, dicens:

— — *In tali affanni*

Vodoa, & maritata iò piango gli anni.

Et sanè commiseratione dignæ sunt mulierculæ illæ, quæ dum petunt ire cubitum, senex mavult sedere ante focum. v. Neviz. *Sylv. Nupt. libr. 2. num. 19.* ubi plura tractat de conjugio senum lectu non ingrata. Hinc Arnifæus de *J. C. cap. 2. sect. 4.* Senibus, ait, magis convenire funerales, quàm nuptiales tædas accendere. v. plura *ibid.* Unde sera illa pœnitentia, de qua *libr. 2. eleg. 4.* Tibullus,

Vidi jam juvenem, premeret cùm serior atas,

Marentem stultos prateriisse dies.

Huic pœnitentiæ suffragatur *libr. Amor. 1. eleg. 9.* Ovidius;

Qua bello est habilis, Veneri quoq; convenit atas,

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Quamvis illud hîc non omittendum, quod refert Carpzov. *de Jur. Fœmin. pr.* ubi ad experientiam provocat, se novisse adulterû quendam maritum 87. annorum, cum ancilla septies concumbentem, eamque

eamque imprægnantem, gladio propter adulterii crimen multatum. Hinc quoniam ejusmodi exempla dari possunt, voluit Imp. Justinianus per *l. 27. C. de nupt. L. Juliam vel Papiam tollere, & majoribus sexagenariis matrimonia non interdiceret.*

XXVII.

Sanè & illi matrimonii defraudantur fructibus, qui thori consortes, vel hermaphoditos, vel spadones, vel eunuchos, vel castratos, vel thibias, vel thlasios accipiunt, de quibus agit *l. 128. ff. de V. S.* ubi Gothofredus in notis dicit: spadonum tria esse genera; naturâ, factò, fato: naturâ, spadones, in specie scilicet ita dictos; factò, castratos; fato seu casu, thibias, quibus testes attriti, & thlasias, quibus fracti: quòd si quis unum testiculum habeat, generare potest. *l. 6. §. 2. ff. de edil. edict. v. plura de horum differentiis ap. Zach. libr. 2. tit. 3. q. 7.* Denique & hoc monendum uxorem posse persistere virginem, si ipsa & maritus perpetuam continentiam voveant, quemadmodum de Carolo Crasso, aliisque affirmat Arnif. *4. sect. 4. num. 12. & 13.* adde Magnif. Dn. Brandmyllerum, *differ. Virginitatis votum.* Sed hi, qui debitum conjugale ita denegant, & in Deum, conjugii authorem, & naturam, id ipsum exigentem, peccare videntur. Aliud est, si qui ex accidenti aliquo vitio concumbere non possunt, tum quoniam non possunt cohabitare, ut vir & uxor, si velint, possunt cohabitare, ut frater & soror, *l. 5. §. 8. de frigid. & malef.* Pluribus in hæc excurrem, sed enim

Precipue Cytheræa juber sua sacra taceri:

Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax,

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,

Nec cava vesanis ictibus æra sonant,

Attamen inter nos medio versantur in usu,

Sed sic inter nos, ut latuisse velint.

Quamobrem sufficiat, paucis me dixisse paginis, plurimas, animus si fuisset, implere quod potuisset. Et cum facilius sit *μυμείδαι*, quàm *μυμείδω*; Benevolum Lectorem, pro candore suo, quæ ratione materiæ dicta sunt, æqui bonique consulturum, & cum bono voto spero, & cum bona spe voveo.

Sit itaque hæc in nomine ejus, qui omnis expers est termini,

TERMINVS.

*Dyodecas Paradoxorum in studio Juris
observatorum.*

EX JURE CIVILI.

1. *Filius pat. em potest habere in potestate.*
2. *Genus fœmininum etiam comprehendit masculinum.*
3. *Filia potest nasci ante matrem.*
4. *Accidens potest esse sine subjecto.*
5. *Sunt stupratores honesti.*
6. *Si fingamus abfuisse maritum, v. g. per decennium, reversum anniculum invenisse in domo sua, dubitatur, an sit mariti filius.*
7. *Datur condictio, ubi non præcessit obligatio.*
8. *Datur actio personalis, quæ non descendit ex contractu, vel quasi; ex maleficio, vel quasi.*
9. *Non licet patrifamiliâs; & qui sui juris est, facere testamentum.*
10. *Filiusfamiliâs patrem suum jure cogere potest.*
11. *Bos potest concipere & parere.*
12. *Potest dominus rei propriæ furtum facere.*
13. *Filius ex marito & uxore natus, quasi sine marito natus, spurcius habetur.*
14. *Mulier familiae suæ caput & finis est.*
15. *Ædem conducere possumus.*
16. *Nullus adeo surdus, qui penitus non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur.*

EX JURE FEVDALL.

17. *Fidelitas potest abesse à feudo.*
18. *Nullum datur feudum ligium.*

EX JURE CÁNONICO.

19. *Non omne juramentum, quod sine dispendio salutis aeternæ servari potest, est servandum.*
20. *Mulier non est facta ad imaginem Dei.*